



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Beneficiarius.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

46. Quæritur. An deficiente intentione in baptizante faciendi, quod facit Ecclesia, Deus ex sua infinita bonitate conferat puero gratiam sine vero baptismo?

Resp. Aliqui affirmant, sed communissima sententia negat, adeò ut opposita putetur omninò improbabilis, ac virtualiter damnata; sicut enim non suppletur baptismi defectus, nec confertur gratia, quando deest aqua, aut quando aqua est putata tantùm naturalis, ita neque quando deficit intentio necessariò requisita ad valorem baptismi, cum obstet lex illa divina *Jo: 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, aliter nullus infans ex misericordia divina decederet cum originali sine gratia justificante.

47. Quæritur. An in baptismo sequenda sit semper pars tutior circa valorem?

Resp. affirmativè, extra casus necessitatis, ratio est, quia si in baptismo eligeretur opinio minùs tuta; sequerentur magna incommoda in perniciem salutis animarum, hinc proscriptæ sunt oppositæ opiniones *ab Innoc. XI. cum prop. I.*

B E N E F I C I A R I U S.

48. Quæritur. An Beneficiarius non recitans divinum officium teneatur in conscientia restituere fructus beneficii ante sententiam declaratoriam Judicis?

Resp. Beneficiarium, qui culpabiliter omittit horas Canonicas, elapsis sex mensibus à die possessionis, teneri in conscientia restituere ante Judicis sententiam, ut patet *ex propositione 20. inter damnatas ab Ale-*

Ale-

Alexandro VII. Ratio est, quia Beneficiarius negligens in recitando officium, ipso facto talem obligationem contrahit absque alia Judicis declaratione, nam si hæc esset necessaria, sequeretur, quod illi, qui culpabiliter divinas laudes omittunt, à restitutione fructuum facile excusarentur, cum id tam occultè faciant, ut Judex ignoret omnino.

49. Quæritur. An sit damnata illa opinio asserens, obligationem restituendi ex omissione horarum Canonicarum non oriri ex virtute justitiæ, sed ex virtutibus Religionis, & obedientiæ?

Resp. Negative, ratio est, quia supradicta propositio damnata excusabat Beneficiatum ab obligatione restituendi ante sententiam declaratoriam Judicis, sed hæc opinio à tali obligatione non excusat ante dictam sententiam, sed solum loquitur de radice, ex qua oritur restituendi obligatio: Ergo non est damnata.

50. Quæritur. An damnationi subiaceat opinio docens: Beneficiarium non recitantem Canonicas horas uno, vel altero die, ad restitutionem non teneri?

Resp. Quamvis hæc sententia non expressè, nec virtualiter sit damnata; tamen tenendum est tanquam certum, eam esse improbabilem, nam Bulla Pii V. ordinat, & assignat id, quod restitui debet ex omissione divini officii unicuique diei, vel horæ assignati.

51. Quæritur. An jure naturali, seu positivo ad restitutionem fructuum teneatur Beneficiarius, qui horas omnino omittit, eo quod habeat beneficium tenue?

Resp. Communior sententia docet, quod

habens beneficium quantumvis tenue, sicut gaudet privilegiis omnibus Beneficarii, ita ad omnia eorundem onera, atque adeo etiam ad horarum recitationem teneatur, ac proinde si eas omittat, teneatur pariter ad restitutionem; præterea, quia Concilium Tridentinum, & Pius V. loquuntur indefinitè, quin excludant habentes beneficium tenue; verùm quia non pauci DD. putant non obligari ad horas, qui fructus beneficii valdè modicos habet, eo quòd parum pro nihilo reputetur; & ex *Apost. ad Corint. 9. qui Altari deserviunt, cum Altari participant, & de Altari vivere debent*; idcirco probabile est, nullam fructuum restitutionem faciendam esse ab iis qui non habent à beneficio, demptis oneribus pecuniariis, bonam partem congruè sustentationis, possuntque fructus illos modicos retinere in compensationem aliorum onerum personalium, quæ subeunt Beneficarii.

52. Quæritur. An restitutio fructuum ob horarum omissionem suppleri possit per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficarius de fructibus sui beneficii fecerat?

Resp. Negativè, ut constat *ex propositione 33. inter damnatas ab Alexandro VII.* Ratio cur id nullatenus liceat, est, quia donatio illa fuit omninò liberalis tum explicitè, tum implicitè, undè nequit deindè obligationi supervenienti satisfieri per eleemosynam illam, quæ absolutè prius transit in dominium pauperis.

53. Quæritur. An suppleri possit dicta restitutio per eleemosynas, quas Beneficarius post omissionem horarum fecerit?

Resp. Quamvis opinio affirmativa nec

ex.

expressè, nec virtualiter sit damnata, at-
tamen locum non habebit in casu, quo
Beneficiarius huiusmodi eleemosynis suæ
obligationi satisfacere non intenderit; si
verò contrarium animum expressè non ha-
buerit, sed potius voluntatem interpreta-
tivam solvendi suum debitum per quas-
cumque eleemosynas, tunc certum est,
quod suppleri potest.

54. Quæritur. An Beneficiarius, seu
habens Capellaniam collativam, si studio
litterarum vacet, satisfaciat suæ obliga-
tioni, si officium per alium recitet?

Resp. Negative, cum expressè opinio
affirmativa damnata maneat *ab Alexandro*
VII. propositione 21. Ratio est, quia obliga-
tio recitandi horas est onus personale, non
secus ac onus audiendi Missam, jejunandi,
implendi pœnitentiam à Confessario im-
positam; & constat *ex Tridentino sess. 24. cap.*
14. ubi dicitur: *Omnes divina per se, & non*
per substitutos compellantur obire officia.

55. Quæritur. An Beneficiarius omit-
tens horarum recitationem, peccet mor-
taliter, etiamsi nolit facere fructus benefi-
cii suos, sed velit illos pauperibus, aut fa-
bricæ beneficii erogare?

Resp. Peccare mortaliter ratio est, quia
onus recitandi horas est absolutum, non
verò conditionatum, (videlicet, si velit
percipere fructus beneficii) atque adè, si
nolit eos percipere, peccat mortaliter
horas omitendo, nisi tamen à recitatio-
ne horarum excusetur ob beneficii tenuita-
tem, quod scilicet, ut communius docent,
non subministrat tertiam partem congruæ
sustentationis, nec proximè ad illam acce-
dit, ut dictum est.